

CTIO
DNE
C.

W. Kern Binger





7 31
DISPUTATIO METAPHYSICA,
De
NECESSARIO
ET CONTINGENTE,
Entis absolutè Necessarii auspi-
ciis suscepta,

Inq̄, florentissima ad Albim Leucoreâ

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Præ-clarisimi

DN. M. HEINRICI Baumann /

Ampliff. Facult. Phil. Adjuncti meritissimi, Dn. Præceptoris,
Fautoris, & Studiorum suorum Promotoris,


*Summâ semper observantiâ prosequendi.
placida ventilâtionis subicit,*

NICOLAUS SARFÖY

Sempronio-Hungarus.

A. & R.

Die 1. Octobr. in Audit. Majori



WITTEBERGÆ,
Literis MATTHÆI HENCKELII.
M. DC. LXIV.

16
GENEROSIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS,
CONSULTISSIMIS QVE

VIRIS

MAGNIFICO

DN. CONSULI

GRAVISSIMO

DN. JUDICI

&



*Reliquis Inclytæ Reipubl. in Reg. Liberaq₃ Ci-
vitate Sempronienfi*

DNN. SENATORIBVS
PRUDENTISSIMIS SPECTA-
TISSIMIS.

DNN. SUI PATRONIS PROMOTO-
RIBVS, ET EVERGETIS OPTUMIS
MAXIMIS,

*Pagellas hasce Metaphysicas, in debite grati-
tudinis, & submissæ observantiæ symbolum,
consecrat & offert*

NICOLAUS SARFÖY.



I. N. J.

PROOEMIUM.

A rerum prestantissimarum est
conditio, ut, quanto preclarius illarum est
usus, tanto perniciosior sit earundem abusus. U-
sus habet laudem, crimen abusus habet. Sic &
Philosophia insigniter utilis est in Theologia, si ea
utaris, sed in venenum convertitur si abutaris, &
immensos religionis nostrae agros rationis dicem-
peda metiaris. Vis hoc probem? At hoc tam in proclivi est, quam plu-
via cum est imber. Vis ut exempla proferam? At tot passim obvia sunt,
quot musca in Armenia. Respice quaso, & oculos mecum paulisper flecte
ad terminos solum *Necessarii* & *Contingentis*, & verum me dixisse fate-
beris. Diffundit enim se doctrinae hujus nobilissima *Uusus* tam late, ut non
Philosophorum tantum *Ἐποικήσια*, sed & Theologorum Scholae strepi-
tu ejus personent. Elucescit ex illa (ut inter multa pauca tantum delibem)
An malum necessario sit introductum, an vero contingenter, & num ad-
huc hodie contingenter fiat? Illustrat miraculorum rationem, & quod ea
à naturali agente fieri nequeant, indicat, eò quod Natura sibi relicta
semper eodem agat modo, & quidem necessario idem semper efficiat. Mi-
racula dein haec cum *Physicâ* necessitate suavissime conciliat, ostendens
non repugnare illa *Causis* naturalibus, sed à *Causâ* superiore vires ea-
rum excedente produci. An bona opera *Necessaria* sint, & quomodo?
Quae discrepantia inter *Necessitatem Absolutam* & *Conditionatam*
intercedat (sine cuius notitiâ multa in Theologia intelligi nequeunt) edo-
cet. Parili ratione *Contingentiam* quoque suo non desituti usu in con-
fesso est. Libertatem ponit in rationalibus, *Contingentia Intrinsicâ*, &
DEUM non agere ex absolutâ *Necessitate* suo modo manifestat. *Con-
tingentia* vero *Extrinsicâ* removet à DEO omnia impedimenta, quod
nequeat in suis actionibus ab ullâ *Causâ* inhiberi, & alia multa praestat.
Quan-

Quantum verò è contrariò hi ipsi termini turbaverint Ecclesiam & pias mentes, cum malè intellecti & pessimè accepti disputationibus de Libero arbitrio, Concursu, Providentiâ, Præscientiâ, Causâ peccati &c. inserti sunt, ex tot scriptis & dissertationibus, quæ de istis Controversiis sunt editæ cuius est notissimum. Quam ob rem ut ejusmodi lapsus evitemus cautius, operæ pretium facturos nos putamus, si in arduo hoc & multis difficultatibus obnoxio, utilissimo tamen themate Vires ingenioli nostri periclitari & exercere, Bono cum D E O, ingrediamur. Ut vero ordine id fiat dicente, tribus sectionibus totam hanc includam disputationem, quarum prima erit

SECTIO DOGMATICA.

Thesis. I.

Necessarium est membrum affectionis disjunctæ, immediatæ, quo Ens aliter se habere non potest.

Εξήγησις.

§. I

Termini Necessarii latior & diffusior est usus, quàm præsentī tractationi convenit. Omisâ E. prolixâ Vocis hujus *Etymologiâ* (quam nonnulli, respectu habito ad necessarium *indigentia* & *calamitatis*, à *Cessando* per ἀντιθέσιν deducunt, quod in illâ re sublevandâ minimè sit cessandum: alii verò *absolutè* & *in se* id spectantes hanc vocabuli hujus originem assignant, quod res talis *nec esse* aliter possit. *Illud Græci χεῖραν*, hoc verò ἀνάγκην vocant) Nominales ejus evolvemus distinctiones.

§. 2. Est autem, *Primò*, necessarium aliud *Complexum*, quod & propositionis vocatur, aliud *Incomplexum*, quod & rerum dicitur: *Illud* in propositionibus necessariis: *hoc* verò in rebus simplicibus datur. *Illud* Logicus: *hoc* verò Metaphysicus pertractat. Hic obiter observamus: Omnia Entia *Incomplexa præter DEUM*, agnoscere Causam efficientem etiam intelligentias, coelum, astra &c. cum hæc omnia DEUM auctorem & factorem suum agnoscant. Entia verò *Complexa*, constantia ex terminis, quibus (1.) *nec esse actuale*, neq; *potentiale* respondet (2.) ex terminis *Ens divinum significantibus* nullam habere efficientem: Quæ verò constant ex terminio *Ens productum significantibus*, & *reale*, in duplici esse differentia, vel

vel enim considerantur *in habitudine terminorum*, & sic nullam
Causam habent effectivam: Quia talis habitudo est resolutio ratio-
nis, sed resolutio rationis cum sit Ens rationis & sic Non-Ens, non
habet Causam effectivam: vel quoad *esse reale & actuale*, & sic a-
gnoscent efficientem. Nam e. g. homo est animal, homine existen-
te, & animali existente, est Ens reale actu existens. E. vel Creatum,
vel Increatum. Non hoc, esset enim DEUS, E. illud. Quicquid verò
Creatum est, id agnoscit Causam efficientem: Et quidem ea ipsa,
quæ homini animalique dat esse, dat etiam homini quod existat ani-
mal. Jacob. Mart. l. i. Exerc. V. Theor. II. & III.

§. 3. *Secundò*, Necesitas est vel in *operando*, quæ competit
operationibus necessariis. Sic magnes positus omnibus requisitis
necessariò trahit ferrum: vel in *afficiendo*, quæ affectiones necessa-
riæ dicuntur. Sic risibilitas necessariò hominem afficit, vel in *essen-*
do, quæ res in se spectata est necessaria.

§. 4. *Tertiò*, Necesitas est vel *Absoluta*, vel *Hypothetica*:
Absoluta est, quæ Ens in se & suâ Naturâ est invariabile, & hæc ite-
rum vel est *simpliciter absoluta*, vel *secundùm quid* ita dicta, de qui-
bus acceptionibus infra, quia cum divisione affectionis hujus Ne-
cessarii & Contingentis coincidunt pluribus erit agendum, hic ve-
rò Hypotheticam expendisse juvabit.

§. 5. Est verò Necesitas *Hypothetica*, quæ admixtam in se
habet contingentiam, & necessitatem solùm ob conditionem ali-
quam annexam accipit. Hoc est, quando res non ex Naturâ suâ aut
interno principio est necessaria (sic enim contingens est) sed ob
externam hypothesin, & suppositionem aliquam dicitur necessaria,
adeoq; non sinit aliquid aliter esse, vel propter *actum existendi*, quo
res cum est necessariò est. Unde Aristot. lib. de Interp. c. 9. ait:
Omne quod est, quando est, necessariò est: impossibile enim est idem
esse & non esse: Ita homo contingenter loquitur, posito verò
quod jam loquatur, necessariò loquitur: vel ob *Causam* aliquam
Externam (necesitas enim à *Materia & Forma*, tanquam à Cau-
sis internis est interna, & quidem Naturalis seu absoluta secundùm
quid ita dicta) *Efficientem* scil. & *Finem*.

§. 6. Necesitas Hypothetica à *Causa Efficiente*, oritur vel
à *Causa Morali*, quomodo bona opera necessaria dicuntur, ratio-

ne Mandati & voluntatis divinæ: vel *reali*, non *naturali* (hæc enim ad absolutâ secundû quid ita dictâ spectat) sed vel *Supernaturali*, cui necessariò omnes creaturæ coguntur obœdire. Sic sol stat, retrogreditur, ferrum natat, leprosi, cæci &c. sanantur, ob voluntatem scil. Dei, & miraculosè ista efficiens: aut *Præternaturali*: unde promanat, cum *necessitas coactionis*, quando contra Voluntatem suam & cum displicentiâ quâdam aliquid, ab externâ vi agere & cooperari cogitur, estq; tantû illorum quæ cognitionem habent: sic robustus trahit infirmiore, fur necessariò it ad crucem: tum *necessitas violentiæ* (quæ si specialiter sumatur & distingvatur necessariò coactionis, solû cognitionis facultate destituti competit) dicitur quando contra naturalem propensionem & nutum ab externâ vi patitur subiectum, ut cum lapis per necessitatem violentiæ projectus, sursum fertur, vel globulus è bombardâ mittitur.

§. 7. *Necessitas à Causa Finali* est cum aliquid necessarium dicitur ob certum finem obtinendum. Estq; duplex, vel enim oritur ex suppositione *finis simpliciter* seu *ratione sufficientiæ*, qui omninò non est, nisi hæc supponatur. Ita respiratio & nutritio ad vitam sunt necessaria; vel *secundû quid seu ratione expedienciæ*, quo finis commodiùs obtinetur. Sic Lingva Latina ad comparandam eruditionem dicitur necessaria.

§. 8. Quartò *Necessitas* dicitur vel *consequentis* vel *consequentia*. *Illa* est, quando *Consequens* in se est necessarium. *Hæc* verò quando *Consequens* non est necessarium nisi posito antecedente (si tamen tam antecedens, quàm consequens in se sint contingentia) Observandum verò quod in præsentiarum distinctionem hanc postremam *Necessarii* non in sensu *Logico*, quâ ratione *Necessitas consequentiæ* cum *Necessitate formæ Syllogisticæ*: *Necessitas* verò *consequentis* cum *Necessitate Materiæ*, quæ datur in Syllogismis necessariis, coincidit: d. *Metaphysico* accipiamus, ita ut *Necessitas consequentis* nihil aliud sit quàm *Necessitas absoluta*: *Necessitas* verò *Consequentia* cum *Hypotheticâ* paria faciat. *Illam* alii vocant *precedentem* & *simplicem*, hanc *sequentem* & *conditionalem*. Ad *Consequentia* *Necessitatem* pertinent omnes *comminationes*, & *promissiones* Dei, quæ annexam habent conditionem,
nec

nec non *decreta* ejus limitata : Ita necessariò erit resurrectio mortuorum, quia Deus decrevit : ita necessarium erit iudicium extremum, quia Deus id futurum prædixit : Ita impiis damnationem æternam comminatur, nisi resipiscant.

§. 9. Hæc de Necesitate ita prænotasse plurimùm expediet, ut constet, quænam propriè sit hujus loci, scil. *Incomplexa, in essendo & absolutè sic dicta* ; Circa cujus definitionem duo potissimum notamus (1) *Conceptum contrahibilem* (2) verò *conceptum contrahentem*.

§. 10. *Conceptum latiore seu determinabilem* exhibent verba: *affectionis disjunctæ immediatæ membrum*. *Affectionem* dico secùs ut nonnulli volunt, qui hanc de Necesario & Contingente doctrinam ad partem *specialem* Metaphysices, tanquam divisionem aliquam Entis rejiciunt, præsupponentes, primam Entis divisionem esse in Infinitum & finitum, quam vel ideo cæteris præmittendam voluerunt, quod Deum ipsum includat, & ordine doctrinæ omnium sit prima & notissima, quamvis forte quoad nos non sit ita nota, sicut est divisio Entis in Substantiam & Accidens quæ sensibus propinquior est, & ideo à nobis faciliùs cognoscatur. Inde ulterius progrediebantur, cumq; Ens hoc infinitum absolutissimè Necesarium, cætera autem finita, contingencia viderent, Necesarium quoq; & Contingens ad istam divisionem Entis revocanda esse statuerunt. Verùm ut ut maximam inter se, hæc attributa Entis alere affinitatem (ut & alia cù his, *actum* puta & potètiã, *Dependentiam* & *Independentiam*, *Esse à se* & *Esse ab alio*, *Creatum* & *Increatum esse*, *Corruptibile* & *Incorruptibile*) adeoq; non nisi formaliter differre (quæ tamè differentia sufficit ad peculiare affectiones cõstituendas) ultrò largiamur, non esse tamen illa Entis primam divisionem his probatum damus rationibus : (1) Quia Ens afficiunt *παρονομασ* *extraessentialiter* dicuntq; aliquid nõ quod ipsũ Ens in particulari constituat, sed ex ipsã essentiã fluat perse, adeoq; eã quid posterius sit: conceptã enim rei alicujus essentiã, non statim concipitur finitum vel infinitum, Necesarium vel Contingens &c. Divisiones verò non denominant Ens, sed ejus rationem participant *κατὰ μέγεθος* & formaliter. (2) Quia illa Ens non in abstracto sed in concreto denominat, ut non dico : Necesitas vel Contingencia est Ens;
d. Ne-

d. Necessarium vel Contingens est Ens &c. Et quamvis exempla dentur contraria, in quibus abstractè Ens prædicatur de affectionibus, ut cum Actus & Potentia dicitur Ens, nihil tamen ea obstant, cum id solum ob defectum terminorum fiat. Sufficit autem, quod requisitum hoc divisioni Entis applicari nequeat, Necessariò autem & Contingenti optimè conveniat. (3) Quia Necessarium & Contingens certo respectu concurrunt *in uno Ente particulari*, ut in Deo, Angelis, quod de modis Ens contrahentibus dici non potest, quippe qui ἀντιδιαίρηται sibi oppositi nunquam concurrunt, ut videre est in Substantia & Accidente.

§. II. Porro *membrum affectionis* voco, quia Necessarium affectionem de se non absolvit, sed cum altero demum membro opposito (contingente) adæquatur Enti h. e. tamplattè patet quàm ipsum Ens, & disjunctim (non quidem *conceptibiliter* attamen *denominative*) cum eo reciprocatur, absque ullius affectionis Unitæ interventu. Esse autem *adaquatam* hanc *Entis affectionem*, inde probatur; quia recte dico: *Omne Necessarium & Contingens est Ens: Et Omne Ens est vel Necessarium vel Contingens*, quæ terminorum æquabilitas sufficit ad adæquationem affectionis probandam. *Prius* assertionis hujus membrum inde patet, quia Necessitas & Contingentia per proportionem ad alia transcendentia debet in adæquato suo Conceptu ipsam Entis imbibere essentiam: Et sic necessitas Entis nihil est aliud, quàm Essentia quæ aliter se habere non potest: Contingentia verò Entis, quæ se aliter habere potest. Essentia autem non nisi Enti tribuitur. E. nec Necessitas, nec Contingentia possunt cuiquam alii propriè & verè tribui, quàm Enti: Non Entibus verò ut & Entibus rationis, ad modum realis & veri Entis conceptis, non nisi per analogiam proportionis, quæ in ambiguitate vocis consistit competere. *Alteram* assertionis *partem* (quod O. Ens sit vel Necessarium vel Contingens) prob. (1.) *Ex collatione omnium Entium*, quorum alia ita se habent, ut tùm in suâ *essentiâ*, tùm *affectionibus*, tùm *operationibus* aliter se habere non possint; alia verò secus se habent. *Illinc* Necessarium, *hinc* Contingens est. (2.) *Ex contradictoria membrorum hujus affectionis oppositione*. Unde argument. Quæcunque opponuntur contradictoriè, illa non admittunt medium. Atqui N. & C. opponuntur Contradictoriè seu *Con-*

tra

tradistinguuntur integris essentiis, ut subtilitatis aquila, Scaliger loquitur Ex. 39. utpote per Essentiam, quæ se aliter habere non potest (quod est Necessarii) & per essentiam, quæ se aliter habere potest (quod est contingentis) E. inter N. & C. nullum datur medium. Major fundatur in natura contradictoriæ oppositorum. Minorem verò negant adversæ partes, quarum alia Contingentiam, alia Necessitatem tollit; alia verò his membris non contenta, tertium dari asserit, propter actiones DEI transeuntes quas Thomas, ut & Conimbricenses contingentes dicere verentur. Timplerus verò & Goclenius Impossibile excipiunt, quod neque N. neque C. sit, quarum tamen sententiarum falsitatem infra in sect. Probl. ostendemus. Nunc pergimus, ad

§. 12. *Conceptum contrahentem, qui tum materiale tum formale exhibet. Uti reliquarum ita & hujus affectionis ratio materialis est ipsa vera, realis, ac incomplexa Entitas. Formalis verò ratio à variis variè exprimitur. Zabarella, eam in defectu respectus ad voluntatem nostram ponit quando scil. res non dependet à nostro arbitrio: Verba ejus hæc sunt lib. 1. de Nat. Log. c. 2. Necessarias res inquit, voco eas, quæ ipse per se semper sunt, & nunquam fiunt; tum eas, quæ fiunt quidem, non tamen à voluntate nostra, sed à Natura per certas Causas operante. Alii verò in immutabilitate, alii in invariabilitate collocant formale: alii in illo exprimendo ad Ens solum simpliciter Absolutè necessarium respiciunt, excluso eo, quod juxta ordinè à DEO institutum est tale. Alii denique, ut Timplerus, lib. 2. Metaph. c. 6. per actum necessarium quatenus necessarium est, describunt: vel per qualitatem per quã Ens se aliter habere non potest exprimunt.*

§. 13. *Nulla autem harum descriptionum formalem rationem necessarii rectè & adæquatè sistit. Non prima quia (1.) nimis lata ea est, cum necessarium à Contingente non distingvat. Unde argumentum: Q. necessarium sufficienter non distinguit à Contingente, illud non est formalis ejus ratio. Atqui defectus respectus ad voluntatem nostram Necessarium sufficienter non distinguit à Contingente E. non est ejus formalis ratio. Major clara est ex eo, quod formalis ratio, pro suâ naturâ & indole rem aliquam adæquatè ab aliis, præsertim ab opposito distinguere & ultimò constituere debeat. Minor verò inde probatur, quia carentia respectus ad*

B

volun-

voluntatem nostram etiã contingenti competit, verbi gratia: Mon-
stris, quæ sane præter intentionem & Voluntatem fiunt, nec ta-
men Necessaria, sed contingentia sunt. (2.) quia oppositum hujus
Formalis rationis Necessarii non competit omni contingenti. Unde
argumentum: Q. oppositum formalitatis Necessarii non compe-
tit omni Contingenti, tanquã suo opposito, illud non est legitimũ.
At hæc formalis ratio Necessarii, quã Zabarella ponit est talis E. Ma-
jorẽ confirmat ratio & natura contradictoriè oppositorum. Mino-
rem verò probamus: quia libertas agendi non competit omnibus
Contingentibus, dantur enim Entia naturaliter agentia, quorum
sanè, aliqua esse necessaria manifestum est, quis verò ea liberè di-
cet agere.

§. 14. Porro, nec in immutabilitate formalis ratio Necessa-
rii consistit, quia nec hujus oppositum (tò mutabile) competit o-
mni contingenti. Actus Dei immanentes essentialis (cei sunt de-
creta divina *ἀνμεταβάτως* considerata) sunt sanè libera adeoque
contingentia, mutabiles verò illos dicere durum dictu videtur.
Magnif. Doct. Calov. in Metaphys. div. p. 404. Et idem respon-
sum sit illis, qui formalem rationem in *invariabilitate* collocant,
removentes immutabilitatem. Nam eo ipso cum hoc faciunt, &
ipsam invariabilitatem remove opus habent, cum nec ista de-
cretis divinis contingentibus tribui possit.

§. 15. Definitio Necessarii in ordine ad Ens simpliciter ab-
solutè necessarium itidem non est adæqvata suo definito. Ita enim
argumentor: Quæ formalis ratio non omnes Necessitatis gradus
verè tales exprimit, sed speciem tantum aliquam illius constituit,
illa non est adæqvata. Atqui hoc formale Necessarii, in ordine ad
Ens simpliciter absolutè Necessarium expressum, non omnes Ne-
cessitatis gradus verè tales exprimit. E. Major prob. quia forma-
lis ratio tam latè sese extendere debet, quam id cuius est formalis
ratio. Minor confirmatur. quia solum Ens independens simplici-
ter absolutè necessarium est, nempe Deus. Præter hunc verò datur
quoque necessitas creaturarum, licet enim hæ eum necessitatis
gradum, qui Deo competit non assequantur, dependens tamen Ne-
cessitas, (quæ verè talis est) illis neuiquam denegari debet.

§. 16.

§. 16. *Templeri* verò descriptiones ambæ rejiciuntur, prima quidem propterea, partim *quia nimis obscura est*, p.v. *quia idem per idem definit*. Posterior verò *quia angustior est suo definito*. Quod enim *primam* attinet, ita de ea loquitur *Dn. Jacobus Martini lib. 1. Metaph. part. qu. 1.* quod (1) dubitari potest, an necessarium ubiq; in formalitate sua actus sit. (2) quod committatur vitium *ἀδολεχίας καὶ ταυτολογίας*: quando enim per actum necessarii definitur *Necessitas*, tùm per seipsam definitur. Qui enim quærit, quid sit *Necessitas*, quærit etiam quid sit *formale*, & consequenter quis actus, qui necessarium quatenus tale denominat & in esse proprio constituit. In *posteriore* verò confundit *qualitatem* cum modo, & *conceptus transcendentales* cum *prædicamentalis*, adeoq; *strictiorem definitionem* assignat, quam ipsum est definitum, cùm *Necessitas* non tantùm *Accidentibus*, d. tam *substantiis*, quam *Accidentibus* rectè tribuatur.

§. 17. Retinemus E. descriptionem Aristotelis 4. *Metaph. c. 5.* ubi dicit: τὸ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως εἶχειν, ἀναγκαῖον φάμεν, quod non potest se aliter habere, cùm hæc omni *Necessario*, & ejus *Oppositum* omni *Contingenti* ex asse competat, nullisque difficultatibus sit *subjecta* ut alia.

Thesis II.

Necessarium est vel Independens vel Dependens. Illud est, quod non est ab alio, nec ullo modo aliter esse potest. Hoc verò quod ob immotam Cause & Effectus cohesionem aliter esse nequit. Prius dicitur aliàs simpliciter absolutè Necessarium: Posterius verò, absolutū secundum quid.

§. 1. Cùm *Necessitatem δευτέρας* talem (quam alii *Necessitatem Naturæ* seu *Physicam* vocant) cum *dependente* paria facere asserimus, non facimus cum illis, qui eam cum *Hypotheticâ* confundunt, eò quod tale *Necessarium* immutabiliter & constanter quidem agat, sed ex *hypothesi ordinis à DEO* in naturâ instituti, præstare enim putamus *Necessitatem Naturæ* distinguere ab *Hypotheticâ*.

pothetica, quia *haec* causas tantum contingentes, & conditiones extrinsecas supponit, quibus stantibus res necessario quidem sequitur, in sua tamen natura contingens est & manet, uti Causae quoque ipsae. Et quoniam res, ratione actus tunc existant necessario, non tamen propterea suam amittunt Naturam aut evadunt necessariae: Necessitas vero *Naturae* ut ut aliquam admittat variabilitatem, cum a *priori*, quod potuerit non fuisse, tum a *posteriori*, quod possit deinde non esse per eandem virtutem, a qua producta est; nihilominus tamen non omnis Necessitas est ipsi deneganda, sed in certo gradu quaedam concedenda, non tantum ob actum existendi, sed & ob necessariam essentiam & definitionem ejus. Et sic omnia *Creata* dicuntur *Necessaria*: inter quae tamen non idem Necessitatis gradus obtinet. Illae enim *Substantiae*, quae materiae expertes sunt, ut *Angeli*, & *animae hominum*, ut & *corpora caelestia* majorem in se & actionibus obtinent necessitatem, quam *Substantiae corporeae & sublunariae*.

§. 2. Neque illis, qui Necessitatem *Naturae*, cum Necessitate *simpliciter absoluta*, eandem esse dicunt, calculum addimus. *Illam* enim *creaturarum*: *hanc* vero solius *DEI* esse statuimus, Quum enim ipse solus primum *Ens* sit omnium perfectissimum, sequitur quod etiam haec Necessitas simpliciter absoluta, & *πρώτος* sic dicta isti soli competat, tum ratione *Naturae*, quia ipse solus secundum hanc summè necessarius est & invariabilis, & uti non potuit non esse quia primum *Ens*, ita non potest deficere, quia omnipotens: tum ratione actuum tam personalium (cum hi non sint realiter ab essentia divina distincti, ut *E.* illa summè necessaria est, ita & isti tales erunt) quam *Essentialium* vel *decretorum*, intellige vero decreta *ratione principii seu termini a quo* considerata, cum decreta *ratione determinationis ad Objectum extrinsecum* sint libera adeoque contingencia.

§. 3. Necessitas Absoluta *κατὰ τὴν* pro variatione *Causarum* & ipsa variat. Manat enim ea vel a *Causa Externa Efficiente* scilicet tantum, nam ratione *finis* non nisi hypothetica datur Necessitas; vel *Interna*, a *Materia* puta & *Forma*.

§. 4. Necessitas respectu *Causae Efficientis* est, quando positis omnibus requisitis, efficiens ita se habet, ut non possit non producere

cere

cere effectum. Sic gravia descendunt, Sol movetur, ignis urit. &c. Requisite autem imprimis sex numerantur (1) *Sufficiens virtus in agente*. 2. *Capacitas patientis, & debita ejus approximatio* 3. *legitima medii dispositio*, si aliquid inter agens & patiens interjacet, agentia enim naturalia in distans non nisi per medium agere possunt. 4. *absentia omnis reactionis, & resistentia*, quoad æqualem virtutem, et multò magis quoad majorem: quia nihil potest vincere nisi per virtutem activam excedentem. 5. *Carentia termini in passò*, h.e. subiectum non sit in termino seu non habeat formam quam agens efficere debet, atque ob hanc causam gravitas non movet terram, quia in centro est. 6. *Determinatio ad Unum*. Inter hæc, prærequisite ad agendum non debet numerari ipsa *actio*; ideo quia non in communi sed in specie de agentibus hic solliciti sumus. Actio verò non tantum naturaliter agentibus, sed etiam rebus formam habentibus tribuitur. Verum enim verò, quia hæc necessitatem tantum consequentiæ h.e. conditionatam, non autem consequentiæ h.e. absolutam, in quâ causæ possint distingui inferunt v.g. si quis albedinem habeat, necessariò est albus: Ita si actionem exerceat, necessariò efficit (necessitate videlicet consequentiæ) ideo actio ista impertinens ad propositum est. Interim verò si aliqua actio prærequiritur eam præsupponimus: Visus enim non agit, nisi præcedat actio objecti in visum: Ex quo amplius sequitur, non debere his annumerari quicquid est actione posterius, & ad illam consequens. Plura petantur ex Svarezio. disp. XIX. Sect. 1. num. 1. & subtilissimo Dn. Jacobo Martini. Lib. 1. part. Sect. 10. qu. 3. item in Exercit. V. lib. 1. Theor. IV.

§. 5. Hæc Necessitas tam *ratione Causæ*, quam *ratione Effectus* dicitur: Et licet hæc Necessitas immutabilis sit naturaliter tanta enim est, ut non modo per intrinsicam virtutem ipsius facultatis; verum etiam per quascunque alias naturales causas auferri non possit aut impediri, quò minus prodeat in actum) auferri tamen & impediri potest vi Omnipotentis Dei. Atque id propterea, quia sicuti is liberrima Voluntate condidit res naturales, ita easdem liberrimâ hac voluntate suâ gubernat. Interim licet sistatur rerum naturalium actio, salva tamen earum manet natura, non enim amittit ignis vim suam, etiamsi Deus vim urendi quandoque in eo sistat.

B 3

§. 6.

§. 6. Differentia E. inter *Deum & Naturaliter agentia* in eo est: (1) Quod positis omnibus requisitis ex parte Naturaliter agentis, Deus tamen denegando concursum suum, actionem impedire possit, ita venenum Apostolis nocere non potuit: *Creatura* verò id neutiquam possunt, sed solùm per actionem vel resistantiam oppositam, aut quia per motionem localem possunt aliquod impedimentum ponere, vel materiam aut aliam conditionem necessariam auferre, ut Svarezius acutè loquitur disp. XIX. Sect. 1. num. XIV. (2) Quod econtrà non positis omnibus ad actionem requisitis naturalibus, Deus tamen voluntate suâ liberrimâ, & Omnipotentè actione, illa quæ defunt possit supplere. Sic Elisabetha, quæ provecæ erat ætatis & sterilis Johannem filium peperit.

§ 7. Fortiter hinc convellitur, *opposita seu contradictoria Veritas*, quam nonnulli defendunt. Veritas simplex & Una est. Philosophica E. axiomata Theologiæ non opponuntur vel contrariantur, Sed de vera & genuina Philosophia id intelligendum est, non de absurdis opinionibus ex Ethnicismo & hæreticismo in Philosophiam invectis. Verum est ignem Virtute Naturali non posse non urere, & verum est, ignem virtute divinâ non urere. Naturam facere non posse, ut virgo pariat filium, DEUM facere posse ut Virgo pariat filium, quia idem de eodem respectu ejusdem non affirmatur vel negatur, quod tamen ratio & natura contradictionum requirit. Aliud certè est ignis naturaliter urens, aliud ignis, virtute divinâ, in actione ustionis impeditus. aliud Virgo naturaliter non pariens, & aliud Virgo virtute altissimi & obumbratione Spiritûs sancti facta gravida. Et qui secus sentit, necesse est eum, aut Deum & Naturam idem esse statuere, aut Stoicorum vanis & absurdis opinionibus, Deum ad causas secundas alligantibus adstipulari. Excell. Dn. Jacob. Mart. lib. 1. Ex. v. Theor. 6.

§. 8. Necessitas à *materia* est, quando aliquid indolem & Naturam materiæ sequitur. Sic corpora necessariò sunt quanta, densa, rara, ob materiam. Et quamvis Materiæ propriè nulla sit actio, naturalis tamen resultantia illi deneganda non est, & à qua est quantitas, ita ut Materia sit hujus efficiens per emanationem. Præterea, proprietates hæ oriuntur non à *solâ materiâ*, sed ex *materiâ & forma junctim*, (quia separatis his amplius non sunt) ita tamen ut quædam propius attingant Materiam quædam verò formam.

Quod

Quod enim *aurum* & omne metallum hanc habeat proprietatem quod fundi possit id magis est à materiâ, fitq; propterea, ut unum facilius fundatur quàm alterum: *risibile* verò dependet à forma specifica, ita tamè ut forma in tali subjecto. i. e. Materia sit: Neq; enim Angelo licet rationalis ridet, sed id à forma in hac materiâ depèdet.

§. 7. Necesitas respectu *Formæ* est, quæ formæ Naturam sequitur. Estq; duplex vel *constitutionis* vel *consecutionis*. Illa, quæ & definitionis dicitur, est, quâ unicuiq; corpori competit illud, quicquid facit ad essentiæ ejus definitionem vel constitutionem. Sic homo necessariò est homo propter rationalitatem quæ ipsius forma est: *Hæc* (Consecutionis seu demonstrationis) est, quæ rei necessariò conveniunt illa, quæ formam rei insequuntur. Sic homo necessariò dicitur risibilis, corpus necessariò quæle.

§. 10. Necesitatem hanc *definitionis & demonstrationis* non *Analogicè* talis, qualis datur in rebus Transcendentalibus & divinis sed *in rigore & πρώτως* sic dictæ) nonnulli pro Synonymis habent, quod in hac *accidentia de Subjecto demonstrantur per propriam & simpliciter proximam Causam sive definitionem*. At diversos esse necessitatis gradus, patet (1) quia ea quæ se mutuò constituunt, (ut definitio & definitum) non differunt realiter. Nempe realis est identitas inter genus (animal) & speciem (homo) Item inter differentiam (rationalis) & speciem (homo). Cum itaque dico: homo est animal. Animal nihil aliud significat, quàm essentiàm ipsius hominis sed confusius apprehensam. Et homo significat nihil aliud quàm ipsius animalis essentiàm sed contractius apprehensam. Ergo patet nullam hic dari differentiam realem: Necesitas verò demonstrationis *πρώτως* sic dicta realem infert distinctionem subjecti à prædicato (ut homo est risibilis) quod alibi demonstratur. Unde arguuntur Quæ realiter idem sunt, ea magis necessario coherent, quàm, ea quæ realiter idem non sunt. Atqui definitum & definitio realiter idem sunt. E. etiam magis necessario coherent, quàm affectio & subjectum in demonstratione, utpote realiter distincta. (2) quia absolutè impossibile est, rem posse existere, absque illis quæ definitionem ingrediuntur ejus. Quemadmodum enim homo necessariò per suam formam (rationalitatem) est homo: sic etiam fieri non potest, ut ablata formâ humanâ sit homo: Necesitas verò Con-

rò Consecutionis, potest sine his (per divinam Potentiam) esse quæ de se demonstrantur, ceu sunt affectiones propriæ. Unde rursus elucescit majorem esse definitionis, quàm demonstrationis Necesitatem.

Thesis III.

Contingens est quod aliter esse potest. Estq; vel Extrinsecum, vel Intrinsecum. Illud est, quando aliquid propter externum principium esse aliter potest: Hoc verò, quando aliquid propter principium internum agere vel non agere, ita vel aliter agere potest.

§. 1. Contingentia, ut vocis Homonymiam paucis evolva-
mus sumitur. (1) *Nimis latè*, pro omni eo, quod non est impossi-
bile, sive in sua Natura sit Necessarium sive contingens, (2) *Nimis*
strictè, vel in respectu ad *Causam per accidens*, estque vel *fortuita*
vel *Casualis*, vel in ordine ad *Subjectum*, quando aliquid Subjecto
suo rarò convenit, & contingenter. Sic Luna patitur Ecclipsin,
quamvis ratione Causæ necessariò id sequatur. 3. *Adquatè* pro eo,
quod potest se aliter habere. Estq; h. l. Quomodo verò differant
Contingentia in essendo, afficiendo, & operando ex thes. 1. num.
3. patet.

§. 2. Contingentia porrò sumitur vel in *actu signato*, seu *Uni-*
versali: vel *Exercit.* seu *particulari*: *Illà* dicitur Universalis Con-
tingentiæ conceptus, quatenus scil. illa formaliter, idealiter, & in
suâ abstractione spectatur: *Hæc* verò est contingentia materialiter
accepta pro ipsis rebus particularibus contingenter se habentibus:
Illà Necessariò datur; *hæc* non item. Omne enim Ens aut Necessa-
rium aut Contingens est. Natura E. Entis necessariò requirit, ut de-
tur Contingentia. Quod autem hoc vel illud, hoc vel alio modo
contingenter fiat, necessarium non est. Sic Necessarium non est
Aristotelem & Platonem disputare, ambulare &c. Nos de poste-
riore h. l. sumus solliciti.

§. 3. Contin-

§. 3. Contingentia autem hæc particularis non uno modo se habet ad esse, quædam enim est *æqualis*, quando res se habet æqualiter ad hunc vel illum effectum, vel quæ tam esse potest, quàm non esse? quædam *inequalis* est, per quam res magis sunt alterutro modo: vel *ut plurimum* ita ut magis sint quam non sint, & dicitur aliàs contingentia *ἐπι τὸ πολὺ*: Sic contingit & penè semper, ut homo quinque; nascatur digitis: vel *rarò*, quæ magis non sunt, & fiunt per accidens, ut hominem nasci bicipitem, aut uno brachio vel sex digitis, Huc referuntur fortuita & casus.

§. 4. *Formale* Contingentis, sicut in Necesitate; non ponimus in *variabilitate*, *mutabilitate*, vel in *respectu ad voluntatem nostram* &c. sed in eo quod Entis naturam (non habito respectu ad externam circumstantiam rem sæpe necessitantem) talem esse dicit ut antequam est, possit esse vel non esse, ita vel aliter esse.

§. 5. Fundamentum divisionis Contingentiæ in *Externam* & *Internam* non est *Causa libera* & *Naturalis*, ita ut *inde* intrinseca, *hinc* verò extrinseca oriatur, cum *hæc* (*Extrinseca*) non solum in *Causis Naturalibus* detur sed etiam *liberis*, utpote quarum actiones pari ratione, & interdum magis impediri possunt, quàm naturalium. Intellige verò per *actiones Cause liberæ*, non *elicitas*, quæ impedimentis non sunt obnoxia, sed *imperatas*: Nec tam illas, quæ à *sola voluntate* atque ejus nutu & imperio proficiscuntur, quàm illas, quæ *externis indigent adjuventis*, antequam ad effectum proveniant, ut quæ ab artibus proficiscuntur: *Illa* enim difficulter impediuntur, unde Ethici virum bonum *τετραγώνον* dixerunt, qui non quovis fortunæ afflatu impelli aut à statione sua dejici potest: *Ista* verò sæpius propositum non assequuntur. Sic nauta non semper quem vult portum attingit. Orator nõ semper dicendo persuadet. Dico E. *Contingentiam Extrinsecam* non solum in Naturaliter, sed & liberè agentibus reperiri, cum utrobique actiones impediri possint ob obstacula innumera, quæ sæpe objiciuntur. *Intrinsecam* verò in solis liberè agentibus dari quæ actionem possunt suspendere, hoc vel illud agere. Contingentia autem hæc non æstimanda est ex parte *essentiæ*, sed *actus* & *effectus*. Causa enim quæ libera dicitur non statim in essendo est talis, sed ratione actus & effectus.

C

6. Disjun.

§. 6. Disjunctivè describitur *interna Contingentia*, h. m. qvo d
 possit agere vel non agere, hoc vel illo modo agere, ut habeat *ur*
 respectus, tùm ad *libertatem Contrarietatis* seu *Specificationis*, tùm
 verò ad *libertatem contradictionis* seu *exercitii*. *Illà* est, quando obje-
 cto certo proposito, agens exercere circa illud actum, vel non exer-
 cere potest. *Contrarietatis* verò est, facultas eligendi è pluribus,
 quod lubet. *Illud* circa Unum, *hoc* verò circa plura versatur Objecta.
 Sic Studiosus libertatem habet contrarietatis respectu plurium
 facultatum, si verò unica tantùm ipsi proponatur facultas v. g. Phy-
 sica, tùm contradictionis solùm relinquitur illi libertas, qvia potest
 propositam Physicam studere vel non studere.

SECTIO PROBLEMATICA.

Qu. I. An detur Necessarium & Contingens ?

Epicuræorum hoc fuit dogma : Omnium rerum eventus esse
 fortuitos. Contra v. *Stoici*, omnia fatali Necesitate fieri somniabāt
 teste *Cicer. de divin. lib. 2. & Laert. lib. 7. in vita Zenonis*, quāvis alii
 aliter senserint, ut *Dn. Scheibl. lib. Com. Top. 3. n. 51.* refert. *Alii* verò
 contractiùs loquuntur, & admittunt quidē contingentiam in agen-
 tibus intellectualibus, in rebus tamen naturalibus eam dari ne-
 gant ut *Avicenna, Occamus*, quorū meminit Dominus Scheibl. lib. 1.
 Metaph. c. XVIII. tit. 3. art. II. *Simon Magus* verò *Bardosanes, Priscil-
 lani* Hæretici è contrario libertatem homini denegantes, Contingentiam
 intrinsicam ex parte sustulerunt. Vid. *Joh. Micræl. in Syn-
 tag. hist. Eccles. L. II. Sect. I p. 159. 405. & c.* Huc referantur quoq; *Cal-
 vin.* qui non planè alieni sunt ab hac sententia, cùm Præscientiam
 Divinam causam Necesitatis esse asserunt. Inter quos & *Stoicos*
 hoc intercedit discrimen, quod illi Causam Necesitatis in influxu
 stellarum, hi verò in peculiari Dei motione eam ponant. Atq; eo
 nomine sint absurdiores illis, quod non tantùm Contingentiam
 tollant, sed etiam bonitatem Dei labefactent. Nos contra, asseri-
 mus : I. *Dari rerum Necesitatem*, idq; probamus (1.) *ex pulcherri-
 mo ordine rerum, earum definitione, & nexu effectuum cum suis causis,*
 cū multa ita dependeāt à suis Causis, ut aliunde dependere non pos-
 sint. Ita ab homine est homo, à leone leo, idq; necessariò (2) *Ex Con-
 fessione omnium*, qui monstrum errorem naturæ esse dicunt. Quo-
 modo

modo autem Natura aberrasse diceretur, si ad omnes eventus fortuito & Casu ferretur? (3) *Ex ipsa Dei naturâ*, qui non potest non fuisse, nec potest non esse, ut prolixius docet Scheiblerus in *Metaph.* l. c. art. 5. Unde concludimus: Dari necessitatem, & qui hanc tollit, Deum ipsum tollit, ignem non posse non urere negat, hominẽ esse animal inficiatur, & contra ipsam agit experienciã. II. Dico, *dari rerum Contingentiã*, & quidẽ I. *Naturalium*, id quod probamus (a) *Sensuum iudicio*, principio cognoscendi omnium primo & notissimo. Videmus enim & observamus multa in rerum naturâ fieri, quæ aliter atque aliter se habeant & fiant, ac fieri & se habere potuissent, ut cervum bicipitem nasci, hominem senis digitis &c. (2) *Ex turbatione connexionis Causarum, interventu contrarii*, sic ignis stipulas madidas non comburit ob affusam aquam. Sic magnes trahit ferrum, sed si alii succo illinatur, illud loco movere nequit. 3. *Ex fortuitis & Casualibus eventibus*. Ita Polycrates annulum in mare abiecit, quem statim excipit piscis, hunc captum piscatores Polycrati donũ afferunt, coqvitur, apponitur Domino, annulus reperitur. En contingentiam facti! Nec enim Polycrates, ut piscis deglutiret abiecit annulum, nec piscatores ut inveniretur illi attulerunt piscem, retenturi procul dubio, si scivissent, nec coqvus eum apposuit ut Dominus annulum reperiret. 2. Dico: *Dari Contingentiã Intrinsicam seu Libere agentia*. Deum scilicet Angelos & homines. *Primò*, quod Deum attinet prob. (a) *Ex actionis libera, præactionis necessaria eminentiã*. Unde argum. Ens liberè agendi facultate præditum nobilius est eo, quod facultate tali destitutum est. At Deus est Ens nobilissimum. E. Majoris connexiono probatur, quia ex necessitate naturæ agentia indigent aliquo superiore & potentiore, per quem ad suos fines ordinentur. Nobilius autem est sibi præstituerè fines, quam alterius ordinatione dirigi ad eos. (2.) *à divina sapientia*. Omnis natura intelligens & sapiens est voluntate & libertate præditum. At Deus est naturâ intelligens. E. 3. *ab absurdo*. Si enim Deus esset agens necessarium, tum semper secundum extremum Virium ageret. At hoc pugnat, cum infinita Dei essentia & virtute. Et stabilitur ulterius: quia sic non producerentur à Deo effectus ignobiliores quam ipse est. Quis enim negabit, Deum (si dicto modo ageret) nobiliores posse producere species,

quàm eas quas jam fecit? *Secundo*. Angelos quoque esse liberè agentes (loquimur verò de illis post lapsum spectatis) prob. (1) *ex radice libertatis*, iudicio nempe intellectus, quod in Angelis est, ubi autem hoc est, ibi etiam libertas est. (2) Libertatem agendi homini tribuimus. E. multò magis Angelis, quia hi perfectius Ens sunt, quàm illi, perfectionis autem esse libertatem patet, partim ex proximè dictis, partim quod & simplicissimum Ens liberrimum esse credatur. *Tertiò*. Libertatem hominis probamus (a) *Testimonio Philosophorum*. *Aristotelem* concordem habemus, cum potentias rationales ab irrationalibus distinguit, & prioribus tantum vim per se operandi contraria communicat. Item *Stoicos*, qui fatali catena hominis voluntatem expedire: *Cicero* ut hominis voluntatem liberam assereret, negavit divinam præscientiam, atque ita ut homines faceret liberos, fecit sacrilegos dicente *Augustinio*. (3) Prob. ab *Electiois facultate* hominis. Unde argum. In quemcunque cadit electio, in eum quoque libertas cadit, At in hominem &c. E. *Major* Confir. quia electiva vis nihil est aliud, quàm potestas libera, quâ repudiato uno alterum possumus amplecti. *Minor* verò constat ex eo, quia in hominem cadit consultatio, quæ discursus circa media est, ut sciatur quodnam illorum utiliùs vel magis necessarium sit ad consecutionem finis, quæ eligimus. Unde consultatio non est, ubi non datur electio. (4) *Natura actionum malarum*, quæ si non ex libera Voluntate hominis provenirent, divinæ utique motioni necessitatem inferenti tribuendæ essent, hoc verò dictu & auditu horrendum est, eò vel maximè, quod Deus non solum prohibeat, sed etiam gravissimè puniat has actiones. At hoc injustissimum esset, si ad easdem necessitatem inferret. Vide prolixius *Svarez*. hac de re differentem disp. 19. sect. 11. th. 17. Atque ex his manifestò elucescit dari contingentiam, adeò ut qui tantam rerum evidentiam negare ausi fuerint, non tam rationibus convincendi, quàm ex (Scoti consilio,) tormentis imponendi sint, & tamdiu cruciandi, donec concedant, possibile esse, se non torqueri. Impinge tantum (inquit facete *Cornelius Martini*) alapa isti disputatori (qui scil. negat rerum contingentiam) & aufer ei omnes facultates, & vide annon oblitus sit sui dogmatis ac obtorto collo te ad Magistratum sit tracturus, hoc autem est reapse fateri, potuisse te illum non ferire, & rem cuiq; suam

suam relinquere. Ut verò potioribus Adversariorum objectioni-
 bus satisfiat observamus (1) *Fortuita & Casualia* in naturalibus
 non solum à virium ad agendum requisitarum insufficientiâ esse,
 sed & à contingentiâ. v. g. si quis aureum tripodem piscando ex-
 trahat, vel thesaurum in platea inveniatur, vel lapsu gravi ejus crura
 frangantur. Nulla sanè ibi virium insufficientia est, verè tamen
 contingentiâ sunt. Deinde quid vetat illa dicere Contingentiâ,
 quæ viribus sufficientibus ad agendum non pollent. (2.) Contingens
 aliquid posse dici vel *intrinsecè*, seu prout manat à causâ, quæ
 ex se potest agere & non agere; vel *extrinsecè* seu ut à Causâ est quæ i-
 deò non agit necessariò, quod impediatur. Etsi itaque *priori* sensu
 nulla sit contingentiâ, nisi in agentibus liberis, ex naturâ enim
 agentia necessariò agunt, *posteriori* tamen etiam est in naturalibus,
 sed respectu causæ proximæ. (3) Liberum arbitrium secundum
 quod Deus nunc aliquid agit vel vult, quod ante non egerat vel vo-
 luit non inferre ei mutabilitatem. Nam actio illa non reperitur in
agente subjectivè, sed est *ab agente*, mutatio E. solum in Objecto fit
 & patiente non in Deo. Idem de ejus voluntate dicendum. Deus
 enim cum habeat simplicissimam scientiam ab æterno, nihil de
 novo vult, nihil de novo acquirit, sed per solam mutationem sub-
 jecti dicitur modo velle & amare hunc hominem, modo non ama-
 re, & odisse (loquor ἀγαπῶ καὶ ὀδῶ) sine aliqua sui mutatione.
 Sic Deus vult me nunc scribere vel loqui, at ubi finiero non vult,
 mutatione facta non in Deo, sed in me. (4) *Consilium* dupliciter
 accipi (1) *pro sententiâ ex discursu mentis natâ* (2) *pro sententiâ ab*
intellectu simplici apprehensione approbatâ. Illud ob discursum, cum
 quo conjunctum est, imperfectionem notare, cum per illum ab
 ignoto ad notum progrediamur, adeoque ignorantiam futuri
 exitus præsupponere: hoc verò ab omni imperfectione liberum,
 rectè Deo tribui, & sufficere ad libertatem in eo ponendam. (5.)
 DEUM non indigere ut libertas ejus ad certos actus deter-
 minetur ab aliquo, cum per summam eminentiam, secundum
 quam completus est in esse & operari, à se ipso supplere
 possit omne illud, à quo libertas ejus determinari deberet.
 (6.) Angelorum actiones quoad genus esse necessarias cum ex perfe-
 ctione gratiæ in qua confirmati sunt Angeli boni, immutabiliter
 volun-

voluntatem suam bonam, non nisi ad unum genere h. e. bonum tantum determinare possint, adeoque necessario agere: in *specie* tamen actiones illas tam *imperatas* quam *elicitas* esse liberas, cum *illas* summam delectatione & Voluptate, quæ sine libertate esse nequit, peragant; *harum* verò *quasdam* intermittere (ut colloqui & non colloqui, quæ est *libertas contradictionis*) *quasdam* verò hoc vel illo modo adhibito (ut cum DEUM celebrant, amant, glorificant, quæ libertas *contrarietatis*, sed quatenus ea circa bona tantum versatur dicitur) exercere possint. (7.) Libertatem vel opponi *necessitati* vel *servituti*, non hoc sed illo modo Angelos esse liberos. (8.) DEUM posse quidem in *actione* impedire hominem, liberum tamen quodammodo nihilominus eum manere in *electione*, cum non in illa sed ista consistat libertas. 9. Decretum esse à DEO homini liberum concedere arbitrium, cuius beneficio à coactione, & immutabilitate liber sit, & hinc necessario eum habere libertatem, & contingentiam non posse non esse. (10.) Scholastici dicunt, DEUM concurrere ad effectum voluntatis mediate, quia scilicet movet voluntatem. E. est quidem causa prima, sed tamen non agit movendo & influendo in agens liberum nisi prævisa dispositione, & determinatione illius Scheib. Par. II. Oper. Log. c. 3. quæst. 3. (II.) Voluntatem in omni actione prærequirere aliquam intellectus cognitionem non tamen dependere eum à pratico iudicio intellectus: nec in suis actionibus liberis, necessario determinari ab eo, sive quoad exercitium, sive quoad speciem actus. Denique observandum: *Præscientiam divinam non inferre rebus fatalem necessitatem*, quia illa nec est *Causa proxima* nec *remota* rerum præcitarum. Non *prius* quia (1.) alias res omnes ab æterno fuissent. Posita enim *Causa proxima* ponitur & ipse effectus. At præscientia DEI ab æterno fuit. Ergone & res? Absurdum. (2.) DEUS esset *Causa peccatorum* & scelerum omnium, quoniam & hæc præcivit, quod tamen impium. (3.) quia secus nullum daretur agens liberum, ne quidem DEO excepto, quoniam & suas actiones prævidet. 4. sequeretur omnia quæ DEUS scit & novit certo evenire, quod falsum. Christus prævidit Tyrios & Sidonios poenitentiam acturos, si tanta, quanta Capernaitici, vidissent miracula Matth. II. v. 21. Sic DEUS vi omniscientiæ suæ novit, se hoc momento, posse ex lapidibus homines producere. Ergone ob id hæc quæ præcivit fiunt vel facta sunt? *Falsissimum*

simum. Plura vid. in Phil. sobr. part. 1. B. Meisn. Sect. 4. q. IV. Non est (2.) *Causa remota*, quod probatur (α) Ex Objecti scibilis & scientiæ inter se habitudine, scientia quippe sequitur objectum scibile. E. non potest ejus Causa esse, cum Causa naturâ prior sit suo effectu & cognitio fieri non possit nisi cognoscenda præcedant, dicente *Aug. lib. 4. de Gen.* Hinc etiam non propterea aliquid evenit, quia DEUS præscit, sed quia futurum est ideo præscitur à DEO (β) Si vel maximè Causa remota esset Præscientia divina, non tamen inde sequeretur necessitas, propter intervenientem Causam proximam atq; liberam, quia motio Causæ modificatur in Causa secunda, & proxima. Ast instant adversarii, & præscientiam hanc divinam *falli non posse* dicunt, sequitur E. quod nec effectus præcognitus se aliter habere queat. Quod verò se aliter habere non potest, id necessarium est. R. Dist. esse inter *Necessitatem Consequentis seu absolutam & Consequentis seu Hypotheticam*, illam si intelligant turpiter fallunt & falluntur, si verò hanc, concedimus & nos eandem, sed quid inde aliud quàm Contingentia. hypothesis enim non mutat res naturâ contingentes in necessarias sed relinquit illis contingentiam 2. Aliud est *præscientiæ divinæ respectu* aliquid esse certum ac infallibile, aliud verò *propter* præscientiam divinam aliquid esse invariabile, *illud* verum est, *hoc* verò falsum. Deinde distinguunt alii inter *scientiam DEI speculativam seu theoreticam*, & inter *scientiam ejus Practicam*, illam Causam rerum præsciarum esse negant, huic verò causalitatem concedunt eò quod non simpliciter ibi spectetur scientia DEI, sed complexè prout est scientia DEI volentis.

*Quest. II. An inter necessarium & contingens
detur medium?*

PRO *affirmativa* pugnant (1.) *Conimbricenses Jesuitæ*, qui in *Phys. Arist. l. 8. c. 2. q. 5. art. 1. actus divinos*, creationem &c. videlicet, neque necessarios, neque Contingentes, sed liberos nominare, & sic inter distinctionis hujus membra medium dare volunt. Quod autè hi de actionibus extrinsecis, & transeuntibus objiciunt, fortius id disputari posset *de actibus DEI immanentibus*, ipsius nempe intellectus & voluntatis. Hi enim necessarii non sunt, contingentes verò eos dicere absurdum videtur, cum in ipso DEO maneant. Sed
neque

neque hos mediare inter Necess. & Conting. infra ostendemus. Qui
verò formalem rationem Contingentiæ in mutabilitate & va-
riabilitate collocant, non possunt non hos actus internos, ut ter-
tium aliquod inter Necessarium & Contingens admittere, licet
enim Necessarii non sint, neque tamen mutabiles vel variables di-
ci possunt, præsupposito terminos hos ab imperfectione liberari
non posse. (2.) *Timplerus & Goclenius*, *Impossibile* dicunt esse me-
dium inter hæc membra N. & C. Nos verò *negativam* supra tenui-
mus, & N. atque C. adæquatam Entis affectionem esse probavimus,
H. l. autem falsitatem sententiæ adversæ partis ostensuri, dicimus:
*I. Actiones DEI transeuntes non esse medias inter Necessarium & Con-
tingens*, sed ad posterius membrum affectionis hujus illas debere re-
ferri, potuissent enim se aliter habere: sic DEUS potuisset mundum
create, quod autem sic se habet illud Contingens est. Dico
II. Neque actiones DEI immanentes tertium constituere inter N. & C.
quia pro diverso respectu vel sunt Necessariæ vel Contingentes. *A-
ctus* enim hi (voluntas, decretum, amor) terminantur vel ad *DE-
UM* vel ad *Creaturas*. *Si prius*, tùm sunt necessarii. Quia quicquid
tùm à parte actionis, tùm verò à parte Objecti necessarium est id re-
vera necessarium est. Atqui actiones hæc DEI immanentes sunt ta-
les. *E. Poster.* prob. quia quod est essentia divina est Ens simpliciter
Necessarium, & per se existit. *Prius* verò constat, quia illæ actiones
idem sunt cum essentiâ divinâ. sicut *E.* ista summè necessaria est, ta-
les & illas esse oportet. Atque hinc patet, *Divinam Essentiam hanc
in se habere perfectionem, per quã ipsa eadem voluntas etiam sit objectũ
sui ipsius, in quantũ ipsa essentielle bonum est, in quo quietari possit volun-
tas DEI.* ut loquitur *Dn. Scheibl. lib. II. Metaph. c. III. qv. 1. n. 5, 8.*
Quoad posterius dico, Neque actiones DEI in terminatione ad exter-
na objecta esse medias. Vel enim secundum istas *eligit*, vel *exequitur*
DEUS, *Executio* ob infallibilitatem decreti est necessaria hypothe-
ticè & tamen libera quia non coacta. *Electio* verò habet adjunctam
necessitatem quoad *genus* seu quoad modum actionis, quia DEUS
necessariò bonum eligit. Neque verò hæc necessitas libertati con-
traria est, quod agnovit *Augustinus lib. 22. de Civ. DEI c. 30.* ita
scribens: *DEUS ipse, nunquid, quoniam peccare non potest, ideo ne-
gandus est, habere liberum arbitrium Conf. l. 5. c. 10.* quoad *speciem*
verò

verò vel *individuum* actionis plane indeterminata est voluntas DEI, tum libertate *contrarietatis*, tum *contradictionis* B. Meisn. in Phil. sob. part. 3. c. 1. q. 7. Ubi verò libertas arbitrii est, ibi etiam contingentiam dari necesse est. III. dico *Nec impossibile esse medium inter N. & C.* quia (1.) illud ne realitatem quidem habet, adeoque (2.) naturam Entis prorsus evertit. E. non tollit sufficientiam membrorum istorum. Fontes ex quibus potiores adversariorum objectiones solvi possunt hos aperimus (1.) Distinguendum esse inter Contingentiam *Extrinsicam*, & *Intrinsicam*, & hanc non istam tribuendam esse DEI actionibus. (2.) Hanc Contingentiam *Intrinsicam à parte agentis*, non arguere imperfectionem, *quamquam à parte actionum quaedam implicetur imperfectio scilicet quod possint esse vel non esse: Neque enim absolum est dicere actiones DEI tantæ non esse perfectionis, quanta est ipse DEUS, ut Magnif. & Excell. Dn. D. Calovius in Metaph. Div. p. 413. loquitur.* (3.) Actiones DEI transeuntes ratione *principii seu termini à quo* Necessarias quidem esse; ratione *objecti* verò seu *termini extrinseci ad quem* Contingentium censui non exemi. 4. Actionem DEI immanentem, quæ in se terminatur, & quæ in res creatas, à parte rei esse eandem, & indivisibiliter unam, non repugnare tamen, eandem actionem v. g. voluntatem quædam res liberè amare, alias verò non liberè, sed necessariò, nam illa duo (*ut Suarez. disp. 19. Metaph. sect. VIII. num. 4. loquitur*) non includunt oppositionem, quia non sunt respectu ejusdem. Quod enim idem actus simul & secundum idem sit liber & necessarius, plane involvit contradictionem: tamen quod actus diversi circa diversa objecta, vel per diversa media unus procedat liberè, & alter Necessariò ab eadem potentiâ nulla est repugnantia. 5. Non incommode dici ab aliquibus Contingens esse *medium inter Necessarium & Impossibile*, sed ista medietas non est intelligenda tanquam inter *Ens & Ens*, sed inter *Ens & Non-Ens*. Unde hoc ipso impossibile non debet connumerari in divisione Entis per Contingens & Necessarium. Rursus illam medietatem non attendi nunc in *veraparticipatione extremorum*, d. in *similitudine ad extrema*, Contingens igitur assimilari Necessario in quantum habet Entitatem. Impossibile autem in quantum potest non esse.

D

Quest.

*Quest. III. An tria tantum habeant Contigentiam
intrinsecam, Deus, Angeli, & homines?*

Dubitari posset an alia agentia ab hac excludenda sint. (1) *Res inanimata*, v.g. lapis, è sublimi projectus indifferens est ad hunc vel illum lapidem concutiendum: vel posset exemplum adhiberi desumptum, à vitro perfectè plano, superposito lapidi perfectè plano, super quod cadat aliud saxum perfectè planum: non n. franget illud æqualiter; quia aliàs dividet in omnē suā partē, quod est impossibile, vel si inæqualiter frangat nō est major ratio, cur quasdā partes poti9, quā aliàs dividat. (2) *Corpora animata*, ut plātæ, quarū vis auctrix est indifferēs, & æq; primò propēdet ad omnes differentias, ut simul aliquod corpus tendat sursū, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, prorsum & retrorsum. (3) *bestia*, ut aves jam versus aerem, jam versus terram volant prout placet. Bucephalus Alexandri M. equus alium præter eum dorso insidere non patiebatur, ne quidem cum alius vestibus Regiis indutus accessit: & Regem cum vellet ascendere, sponte genua sua submittens, excipiebat, credebaturque sentire quem vehebat. 4. *Omnia agentia naturalia* quæ licet determinata sint ad hanc speciem, indifferentia tamen sunt ad productionem hujus vel illius individui. Verum respondeo brevibus: Q. carent & destituuntur intellectu & voluntate illa non sunt liberè agentia. Atqui hæc jam recensita & omnia alia præter Deum & Angelos ac homines destituuntur intellectu & voluntate. E. In specie verò quod *lapidem* attinet, dico: si is in tali casu sibi relinqvatur, prorsus à naturâ suâ nullam indifferentiam habere adhuc vel illum lapidem quatiendum, sed necessariò eum tangere, qui inter ipsum & terram in lineâ rectâ interjacet, si verò ab externo motore projectus, ad hanc vel illam terræ partem, feratur, indifferentiam illam non lapidi sed motori esse adscribendam. Præterea fieri non posse assero, ut perfectè planum, æque primò cadat super planum (sicut non potest fieri ut planum æque primò separetur à plano) quia sequeretur vel dari vacuum, per quod cadat saxum, vel aliquam partem aeris in instanti simul egre-

egredi, ita ut tam citò pertranseat remotum spatium sicut propinquum, aut manere ibi penetrative, aut certè si aer manet medius, illa duo plana se non æqualiter contingere. Necessè est ergo ut planum cadens prius secundum unam partem contingat, quam secundum aliam: cuius inæqualitatis, extrinsece aliqua est investiganda causa scil. vel quod medium non sit æquè divisibile secundum omnem partem, aut quod planum, quod æque cadit, non possit omnem excludere aerem intermedium, qui deinde resistit ei, vel quod corpora illa poros habeant, vel aliæ causæ impediens concurrant ob quas vitrum æqualiter non contingatur vel frangatur. Ad (2.) dico, illam *facultatem auctricem plantarum*, ad extendendum corpus juxta omnes dimensiones nullatenus inducere libertatem, nam ita ea determinata est, ut non possit non sic extendere, liberum autem agens potest agere vel non agere, hoc vel illo modo agere. Ad (3.) *de brutis* respondeo, umbram saltem in illis esse libertatis, cum ob vim cognoscitivam sensuum & appetitum quem habent, non sint ita coarctata ad unum, sicut sol ad lucendum, ignis ad urendum: sed habeant indifferentiam aliquam ex phantasiâ ortam, quæ verò cum discursu destituatur, non potest non ad unum necessariò ferri. Et idem dicendum est de specialibus brutorum actibus, quos habent per assuefactionem, per eam enim disponitur phantasia ad certum quid imaginandum, ad quod tantum necessariò fertur, nec enim ostendi potest, quod actus istos eliciant ex se, aut possint aliquid appetere vel non appetere. Ad (4.) dico eam demum esse causam liberam, quæ positis omnibus ad actionem requisitis possit agere vel non agere. Inter ea autem (ob naturalem imperfectiorem, & indigentiam) recensetur quoque concursus DEI, qui in eo consistit, ut causa naturalis determinetur ad talem effectum naturaliter producendum. Igitur tùm demum Causa illa esset libera, si posita determinatione divina ad hoc individuum, posset nihilominus agere vel non agere. Prolixius hac de re Svarius disp. 19. Metaph. Sect. 1. & Scheibl. lib. Top. c. 30. num. 60. agunt. Manet E. conclusum tria solùm esse, quæ contingentiam habent intrinsecam seu libertatem agendi, Deum scil. Angelos & homines, cum in his so-

lis detur intelligendi & volendi facultas. Sed præter spem excre-
scit discursus propero ad sectionem ultimam, quæ est.

SECTIO AXIOMATICA.

I.

Ens absolutè Necessarium nonnisi unum est.

Necessitatem hic intelligimus *Incomplexam*, eamque *simpliciter absolutam* ac *Independentem*, non verò *complexam* & *secundùm quid* talem seu *dependentem*. Alii distinguunt inter Necessitatem ratione *existentiæ*, quâ aliquid necessariò existit, ita ut contradictionem implicet ipsum aliquando non existere, vel non extitisse, vel non extitutum esse: & Necessitatem *competentiæ seu connectionis*, quâ aliquid non simpliciter dicitur necessarium, sed necessarium alteri seu alicui, & hoc necessitatis modo multa Entia esse necessaria dicunt v. g. homini tam necessariò competere animam rationalem, ut ejus absentia contradictionem involvat. Sed hac necessarij diversa consideratione nihil opus, si priores distinctiones observentur. Dari autem Ens quoddam tale simpliciter necessarium, & quidem unicum tantùm, probatur, quia datur Ens aliquod primum, quod non potest non fuisse, & non potest tandem non esse. Deus scil. ἀπλῶς immutabilis, nec præter Deum quicquam ita absolutè necessarium dari potest. Quicquid enim est præter Deum id poterat non fuisse, & aliquando potest non esse, cum nihil eorum sit immutabile. D. Calov. in Metaph. div. p. 414. Excluduntur E. ab hac simpliciter absoluta necessitate *omnes creature, Angeli, animæ rationales, Corpora cœlestia, Universalia &c.* De quibus omnibus prolixè agit Dn. Scheib. in Metaph. lib. 1. n. 47. seq. *Complexam* item Necessitatem, qualem simplicissimè immutabilem Deo attribuimus, nullis aliis propositionibus competere affirmamus.

II.

Necessitas & Contingentia oritur ex Causis.

Intellige (1) Necessitatem *dependentem* non *independentem*, cum huic Causæ nullæ convenient. (2) Necessitatē tam *in essendo, efficiendo* &

do & operando. (3.) *Causas proximas & particulares, non remotas & universales.* Illæ enim solæ dant essentiam specificam, hæ verò indeterminate se habent ad effectum producendum. Unde non possunt rem ad hanc vel illam existendi rationem, ut scil. contingens sit vel necessaria determinare. *Usus* hujus canonis est contra Calvinianos qui Præscientiam divinam rebus Necesitatem inferre dicunt, & eos qui astrorum influxum nobis obtrudere conantur.

III.

Ab Uno Necesitatis modo ad alterum non licet argumentari.

V. g. ab *hypothetica* Necesitate ad *absolutam*. Errant itaq; & peccant *Calviniani* qui ex eo quod sapi9 in Scriptura aliquid necessariū dicitur sub hypothese, statim illud in se necessarium esse dicunt. Ut & *Pontificii*, qui positâ bonorum operum necessitate rat. scil. mandati divini, & aliarum conditionum, concludunt bona opera ad vitam æternam esse necessaria.

IV.

Contingentia intrinseca non tollit omnem necessitatem. scil. ipsius *decreti, precepti, obligationis & promissionis divine*, quæ tamen necessitas hypothetica saltem est. Sic *bona opera libera* sunt ratione *Causæ liberæ, à quâ proveniunt, adeoq; non necessaria*, necessitate *coactionis*, necessaria tamen *ex hypothese* non quidem *meriti*, aut *procreandæ* aut *conservandæ salutis gratiâ* sed *ordinis, conscientie, & debiti*. Vid. Magn. D. Calov. in *Metaph. Div.* p. 418. in appendice ad Cap. de Nec. & Conting.

Atq; hæc de Necesario & Contingente dixisse sufficiant. Plura quidem proferri poterant, quia tamen brevitati nos studere oportet, finem disputationi huic imponimus. Deo Enti summè

Necesario & Liberrimo, sit laus, honor &
gloria, in sempiterna
secula.

TERMINALIA.

*Ad Pereximium & Doctissimum Disput.
Autorem.*

Contingit Sophiæ primæ penetrasse recessus;
Contingit doctos postposuisse rudi.
Sed qui virtuti postponit cætera, tandem
Prima necessario puncta Sophum referet.
Ipsa Minerva Tibi jam nectit laureaserta;
Cui labor & nervus perplacet hicce tuus.
Si tamen imponat Tibi tardiùs, illa merenti,
Contingens credas esse necessarium.
Sæpius, ut laurus mage floreat, optima servat
alcanti spinas: quis rosa mixta vires.

f.

M. HEINRICUS Baumann
Fac. Phil. Adj.

Communi meritò consuevit dicius usu,
Non procul à proprio stipite poma ca-
dunt.

Id tua perbellè, Sarfoy, solertia, primæ
Dum Sophie tractas dogmata ritè, pro-
bat.

Sacra Tuo quondam Præclaro pagina Patri,
Naturæq; satis pagina nota fuit.

Ergo

*Ergo cum primam sanctæ meditare Sophie
Fungere, quis similem Te neget esse Patri?*

Præstantissimo ac Literatissimo Dn. Autori
& Respondenti, Conterraneo suo
Charissimo, hæc paucula gratula-
bundus apposuit

M. JOHANNES FABRICIUS;
Arvâ - Hungarus.

PRælia, Chære, moves doctis gratisima Musis;
At rigida in patriis finibus arma furunt.
O si cessissent horrentia prælia Martis,
Atque ibi floreret Pacis amœna quies!
Nulla falus Marri, felix qui diligit artes,
Nominis inde decus, non aliunde venit.
Maeste tuis cœptis! Tibi præmia certa laboris,
Ac Patriæ Pacem, quam det Jöva, precor!

*Gratulabundâ mente amantiſſimo
Dn. Conterraneo suo pauca
hæc adjecit:*

ANDREAS Fleischhacker/
Rustensis Hung.

HOc opus, hic labor est! Sophiæ penetralia nosse,
Quæ mentes acuunt, fertilitate suâ.
Hæc dum mi SARFÖY penetras conamine fausto,
Eminet ingenium, laudis honore, Tuum.

Quid

Quid facerem? Grator, candorem in vota resolvens:
Adspirent studiis, Numina Magna Tuis!

*Brevibus hisce congratulari Doctiss. Dn. Autori
& Resp. hujus Disputationis, Conter-
raneo & Contubernali suo di-
lectissimo, voluit*
ADAMUS LASIUS Cassen. Hung.
SS. Theol. Stud.

Ad V. 33. sqq. Epist. 17. Lib. I. Ep. Horat.

REs geris, ingeniumq; ostendis Civibus, alta
Dum captu attingis, dum transcendentia
tentas.

*Sic Patrie placuisse Viris, non ultima laus est:
Sic tibi, mi SARFOY, contingit adire Co-
rinthum.*

Talis nonne Patri gnatus succederet? ESTO!

Breviuscula hæc, festinans exaravit cala-
mus, Doctiss. Dn. Autori ac Resp.
Conterraneo & Amico suaviss. de
specimine haudquaquam proleta-
rio, gratulantis

MICHAELIS RITTHALERI,
Modorensis Pannonii.



94 A 7379

ULB Halle

3

002 376 911





sb

WMA

7/4 Nov 1993







7 36

DISPUTATIO METAPHYSICA,
De
**NECESSARIO
ET CONTINGENTE,**
Entis absolutè Necessarii auspi-

ciis suscepta,

Inq̄, florentissima ad Albim Leucoreâ

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Præ-clarisimi

DN. M. HEINRICI Baumann /

Ampliff. Facult. Phil. Adjuncti meritisimi, Dn. Præceptoris,
Fautoris, & Studiorum suorum Promotoris,


*Summâ semper observantiâ prosequendi.
placida ventilationi subjicit,*

NICOLAUS SARFÖY

Sempronio-Hungarus.

A. & R.

Die 1. Octobr. in Audit. Majori



WITTEBERGÆ,
Literis MATTHÆI HENCKELII.
M. DC. LXIV.